



**Miracvla Quæ Ad Invocationem Beatiss. Virginis Mariae,
Apvd Tvngros, Camberones, Et Servios In Hannonia; ac
Dominam Gaudiorum in Picardia vulgò Nostre Dame de
Liesse dictam effulsere**

Caoult, Walrand

Coloniae Agrippinae, 1607

Iuuenis quidam ab euidenti vitæ periculo conseruatur immunis B. V.
pijßima tutela.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59700)

mis à terra surrexit, vt ipsemet personaliter
Camberonam aduenerit, immensas ei actus
gratias, à qua tantum beneficium se acce-
pisse profitebatur, simulque quod illi accide-
rat non ingrato animo palam in sacra eius æ-
dícula denunciaturus.

IUVENIS QUIDAM AB EVIDEN-

ti vite periculo conseruatur immunis

*Beate virginis pijsima tu-
sela.*

CAPVT LXII.

Mensis Nouembris anno quo suprâ in-
uenculus quidam ab Estinnis à Mon-
te, qui Nicolaus Cretinerus nuncupatur, ad
scholas cum pergeret, contigit eum fluium
quemdam, aquis vltra solitum intumescenti-
bus cursuque rapidiori defluentibus tabula
quadam seu planca transilire: quod cum fa-
cit, pronus in aquas labitur, eminusque ad a-
quæ decursum tantisper abductus est, donec
in quemdam præaltæ profunditatis sinum
descenderet: vbi & inter vndas mediosque flu-
ctus inuentus est supernatans, quis, canistro-
que suo in quo abecedarium seu libellum re-
ponebat imperterritus collusitans. Talis ac
tanti infortunij admoniti parentes, filij sui in-
columitatem B. Virgini Camberonensi acce-
ptam retulerunt: cui pater cum matre & filio
se

se deuouerant peregrinos ac in deuotos famulos.

*PVERVLVS SINE VITA IN
mundum editus baptisimigratiam
percipit Beate virginis
meritis.*

CAPVT LXIII.

ANno supra 1463. feria tertia paschali vxor Ioannis flandri a Sirau proles geminas enixa est, quarum vna à feria tertia ad horam vsque nonam meridianam feria quinta subsequens nullum vitæ nec sensus dedit indicium: quo videlicet tempore ex amitis suis vna, quæ illi aderat, beatæ Virginis Cambertonensis operam piè implorauit, simulque & ipsum eidem deuouit peregrinum. Ad cuius pia vota infantulus naribus, ore & vmbilico cruorem emittens, baptisatus fuit ad eum modum, quo in necessitatis articulo conferri potest baptisma: postea verò paululum ingemiscens, in signum moris expallescente cepit, qui antea absque ylla coloris sui immutationem constans persisterat.

TER